



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Theses Theologicæ In quibus exhibentur quædam
Observationes circa aliquot ex LXV. Propositionibus A SS.
Domino Nostro Innocentio XI. Condemnatis**

Huygens, Gommarus

Lovanii, [1684?]

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10671156-1

Th. 270.

2. IV
3.

12

13

14

15

16

17

PHILOSOPHIAE MORALIS

PRINCIPALIA

APPENDIX

PROPOSITIONES

DE LIBERTATE

DE LIBERTATE
DE LIBERTATE
DE LIBERTATE
DE LIBERTATE

T H E S E S
THEOLOGICÆ

In quibus exhibentur quædam Observationes circa aliquot ex

LXV. PROPOSITIONIBUS

A SS. DOMINO NOSTRO

INNOCENTIO XI.

C O N D E M N A T I S,

Q U A S

P R Æ S I D E

EX. VIRO DOMINO AC MAGISTRO NOSTRO

GUMMARO HUYGENS

L Y R A N O,

D E F E N D E T

AUBERTUS CAMBIER Wagniensis.

In Collegio ADRIANI VI. Pontificis, die 18. Februarii 1684.



L O V A N I I,

Typis GUILIELMI STRYCKWANT, sub aurea Lampade.

THESE
THEOLOGICÆ

IN QUIBUS EXAMINANTUR QUESTIONES
LXV. PROPOSITIONIBUS
A. S. DOMINO NOSTRO

INNOCENTIO XI.
CONDENNATIS

PER
EX VIRO DOMINO AC MAGISTRO NOSTRO

GUMMARO HUYGENS

LYRANO
DEPONDIT
AUBERTUS CAMBIER Warginensis
In Collegio Archiepiscopali Vindobonensi die 14. Septembris 1677.



IOVANNI
DE

CONCLUSIO PRIMA.

Non solum certo sed & dubie necessaria necessitate medii, imò solius præcepti necessitate necessaria populo tradenda sunt.



Propositio 22. *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.* Creditu necessaria necessitate medii dicuntur illa, sine quorum fide, etsi etiam sine nova culpa ignorantur, salvari nemo potest. Eum in modum non solum necessaria est fides unius Dei, sed plurium aliorum, ac in primis fides Mysterii Incarnationis Verbi, Passionis ac Mortis ejus: *Sicut Moyses, inquit, Christus Dominus, exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis; ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Joan. 3. Adeoque sicut nemo illorum qui à serpentibus ignitis in deserto morfi erant à moribus sanari poterat, nisi serpentem aneum intueretur: ita quoque nemo jam à peccatis liberatur, nisi fide intueatur Christum in Cruce exaltatum. Huc tendit illud Christi Domini loco citato: *qui non credit jam judicatus est.* quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. Merito proinde Concil. Trident. sess. 6. cap. 6. agens de fide ad justificationem requisita, postulat ut credant imprimis à Deo justificari impium, per gratiam ejus, per redemptionem qua est in Christo Iesu. Ubi nota vocem *imprimis* idem significare quod *maximè*, sive *præcipuè*: quod nimirum indicetur inter omnia que justificando sunt credenda, istud esse *maximè* sive *præcipuè* necessarium: Amplius dicit August. l. de pecc. orig. c. 24. "Sine fide Incarnationis, Mortis, & Resurrectionis Christi nec antiquos justos, ut justè essent, à peccatis potuisse mundari & Dei gratià justificari, veritas Christiana non dubitat: ", Consonat quod idem S. habet de Corr. & Grat. c. 7. "Nemo, inquit, liberatur à damnatione qua facta est per Adam, nisi per fidem Jesu Christi; & tamen ab hac damnatione non se liberabunt qui poterunt dicere non se audivisse Evangelium Christi. "

Porro redemptio per Christum Mediatorem non prout debet intelligitur, nisi quis instructus sit de necessitate gratiæ Christi: nam si quis quacumque ratione ignoret quod justitia detur à Deo per gratiam, & loco illius putet eam habere per suas vires; justitiam Dei, id est, veram justitiam non habet: *ignorantes enim justitiam Dei. Et suam querentes statuere, justitia Dei non sunt subiecti.* Rom. 10. Dum Apostolus indefinitè, adeoque universaliter ait, *ignorantes Dei justitiam &c.* Facile est videre quod nulla ignorantia excusetur Judæos: ac proinde hinc colligitur summa necessitas credendi quod justitia debeat haberi à Deo; ita nimirum ut hujus rei ignorantia manente nemo veram justitiam obtineat. Hanc verò justitiam expectandam esse per Christum sive per gratiam Christi, indicant verba Trid. mox citata, quibus veluti *maximè* necessarium inter credenda non tantum asseritur quod credere oporteat justitiam haberi à Deo; sed insuper quod habeatur per gratiam ejus, per redemptionem qua est in Christo Iesu. Et hinc ulterius patet quanta sit necessitas ut credatur quod Sacramentorum vis sive efficacia sit ex meritis Christi; cum aliàs iterum non prout oportet crederetur nos justificari, per redemptionem qua est in Christo Iesu. Insuper collige magnam illam necessitatem credendi quod omnes nascamur in peccato originali propter prævaricationem sive inobedientiam Adami: nam sine illa fide rursus non satis intelligitur Mysterium redemptionis per Christum: siquidem illa redemptio præsupponit captivitatem in quam occasione peccati, præcipuè originalis, quod secundum extensionem est maximum, præcipitatus sumus. Undè meritò Augustinus: "In causa duorum hominum, per quorum unum venundati sumus sub peccato, per alterum redimimur à peccatis

3, eatis ; per unum præcipitati sumus in mortem ; per alterum liberamur ad vitam : quod
3, rum ille nos in se perdidit faciendo voluntatem suam , non ejus à quo factus est ; iste nos
3, in se salvos fecit non faciendo voluntatem suam , sed ejus à quo missus est , in horum
3, duorum hominum causa propriè fides Christiana consistit. , de pecc. orig. c. 24.
Animæ nostræ immortalitas , & quæ eam post hanc vitam manet remuneratio , id est
bonorum & malorum terminus , item creationis & redemptionis nostræ scopus five finis ,
vel propter solam connexionem , quam habent maximam cum mysterio Redemptionis ,
colliguntur summè necessaria scitu ad salutem , qui enim talia quacumque ratione ignorant ,
dæmonum instar & brutaliter potius quam christianè vivunt . Hinc infer populo sedulo
inculcandum est quod anima nostra post hanc vitam in æternum manebit , receptura
per totam æternitatem vel bonæ vitæ præmium beatitudinem , consistentem in visione ,
amore & fruitione summi boni quod est ipse Deus , vel malæ vitæ supplicium , damna-
tionem æternam , consistentem in perpetua privatione dictæ beatitudinis , item in crucia-
tibus & tormentis , ratione quorum dictum , *vermis eorum non moritur & ignis eorum non ex-*
singuitur . Præterea humanæ vitæ finem seu scopum ad quem creati & redempti sumus ,
esse , ut hic & in æternum Deo vivamus , & , quod specialiter redemptionem concernit , ut
hic Christo assimilermur in ferenda Cruce , & postea eidem in gloriâ quam per Crucem con-
secutus est : juxta illud Apostoli : *si compatimur & conglorificabimur* . Hinc ulterius infer po-
pulo sedulo inculcanda illa attributa quorum notitia requiritur ad fidem Theologicam , ut
quod Deus sit omniscius ac proinde falli non possit ; quod sit summè bonus , quapropter
fallere five decipere non possit , instruendus similiter populus de attributis divinis : quorum
notitia requiritur ad spem Theologicam , ut quod Deus sit omnipotens , atque ita quod
peccatores , etiam pessimis consuetudinibus intricatos , convertere valeat . Item quod sit infi-
nitè misericors , ita ut nulla peccatorum multitudo aut magnitudo Dei misericordiam ita
superet , ut Deus ea remittere non queat . Et quod spem concernit , inculcandum quod
Deus sit summum bonum nostrum , in cujus possessione posita sit summa nostra felicitas ,
quodque Deus sit infinitè fidelis in suis promissionibus , in illis præsertim quibus vitam
æternam benè viventibus promisit . Quod charitatem attinet , docendum quod Deus sit
summum bonum in se , hoc est , ens summè perfectum , adeoque infinitè amabile , non so-
lum propter perfectiones omnes , sed etiam propter singulas , cum singulæ sint infinitè ama-
biles : infinitè namque amabilis est ejus Misericordia , & similiter ejus Justitia , Omnipotentia ,
Veritas , Sanctitas , &c . A proportione quâ aliæ virtutes erga Deum exercendæ , sunt necessi-
tate mediæ aut præcepti necessariæ , agendum de attributis divinis quæ illis virtutibus corre-
spondent . Hæc de Deo Uno in essentia , nunc de Trino in Personis . Notum est quot , quanti-
que Theologi fidem Mysterii SS. Trinit. dicant esse necessariam necessitate mediæ ad salutem .
Hinc Symbolo Apostol. cujus notitiam in omnibus omnino filiis suis Ecclesia exigit , cla-
rissimè exprimitur Mysterium SS. Trinitatis : De hoc Symbolo loquitur Aug. his verbis : Quis-
3, quis non tantum memoriâ protulerit , sed etiam corde crediderit , id est , omni dubitatione
3, postpositâ verum esse consenserit , hic fidem habere dicendus est . Priusquam huic
Conclusioni primæ finis imponatur , Lectorem monitum velim non posse adequatè
definiri quænam necessitate mediæ , quænam vero solius præcepti necessitate credi de-
beant : & fortè idè Deus hæc nos latere voluit , ut circa variâ , vel eò titulo effemus
magis solliciti , tum ut nobis ipsis , tum ut aliis ea inculcemus , quatenus saltem dubium est
an non sint creditu necessaria necessitate mediæ : etenim si vel dubium sit de tanta necessita-
te , hoc ipsò emergit obligatio ut ea vel discantur vel doceantur , haud multò minor quam si
certum foret esse necessaria necessitate mediæ : quandoquidem in talibus nihil omnino possit
humana opinatio vel persuasio . Denique satis rarum est , ut quæ vel solâ præcepti neces-
sitate creditu sunt necessaria , ab iis qui inter fideles educantur sine culpa ac damnationis peri-

periculo ignorentur. Ut proinde non parum desint officio suo sive Pastores sive populus, dum de necessariis necessitate medii utcumque sunt solliciti, sed parum admodum, vel saltem non satis de necessariis necessitate præcepti; nec tantum oportet habere sollicitudinem circa ea quæ sunt absolute necessaria, sed etiam circa ea quæ sunt multum utilia. Non solum necessaria necessitate medii, vel etiam necessitate præcepti, sed etiam utilia quævis suis inculcabat Apostolus: *Vos scitis*, inquit, *quomodo nihil subtraxerim utilium quò minus annuntiarem vobis.* Act. 20.

CONCLUSIO SECUNDA.

Ex doctrina anterioris Conclusionis infertur quòd populus de quibusdam aliis, præterquam de iis quæ anteriori Conclusionem recensita sunt, instruendus sit.

EX anteriori Conclus. infertur populum, ut alia omittam, instruendum esse de variis, penes quæ status, in quo sumus post lapsum, differt ab eo, in quo primi Parentes nostri fuerunt ante lapsum: pariter infertur instruendos etiam esse Fideles de vulneribus animæ, in primis quæ ex peccato originali, deinde quæ ex aliis peccatis supersunt. Nam quòd differentiam utriusque status attinet, discit inde populus quòd tot miseræ internæ, quas in anima & corpore circumferimus, & tot externæ, quibus ubique sumus circumvallati, non sint natura instituti hominis, sed pœna damnati: ac proinde non habeant Deum veluti institutorem & primum earum authorem; sed peccatum ex quo natæ sunt & in cuius pœnam à Deo inflictæ. Hinc ulterius clarè vident Fideles quòd Deus nos finens tot inter miserias, tantasque ærumnas vivere, nequaquam sit injustus, quin imò sit in illis singulariter misericors, quòd non obstante peccato originali, ob quòd nos poterat æternum dampnare, voluerit æternam damnationem ab electis suis sublatam, eos relinquere solum in his miseriis temporalibus à peccato provenientius. Ex ista diversitate utriusque status populus etiam discit in spiritu pœnitentiæ suscipere miserias huic statui naturæ lapsæ proprias; dum considerat peccatum esse rationem, ob quam Deus in illis nos vivere sinat:

Addidimus ex antedictis etiam confici quòd populus sit instruendus de vulneribus animæ: etenim cum præcipui vitæ spiritualis hostes sint nostræ ignorantia, & concupiscentia, id est, corruptiones ac propensiones ad peccandum ex originali & aliis peccatis relictæ, cum illis maxime nobis pugnandum est; requiritur autem notitia hostium ut eis debite resisti possit. Quomodo enim adversus ignorantias & concupiscentias vigilabit, qui eas ignorat, quomodo cavebit ne concupiscentias exequatur, ne consensum illis præbeat, & denique ut per actiones passionisque concupiscentiis contrarias sese mortificare studeat, qui nullas sibi concupiscentias inesse putat? Ex istis peccatorum vulneribus sive reliquiis egregie discimus verissime dictum esse; *oportet semper orare & non deficere*; item *sine intermissione orate*: quòd enim major nostra propensio ad malum, quantoque major est imbecillitas resistendi, tantò magis est implorandum divinum auxilium. Discit hinc etiam Christianus quantum se humiliare debeat, dum in se agnoscit tam inordinatas & fœdas concupiscentias, tantam rerum agendarum ignorantiam, & tam magnam ad tentationibus resistendum infirmitatem: denique hinc discit vel eo titulo detestari ac fugere peccatum, quòd etiam post remissionem adeò nocentes ac pertinaces ad peccata reiteranda propensiones post se relinquat.

Infertur etiam ex anterioris Conclusionis doctrina quòd populus ritè instruendus sit, ac juxta suam capacitatem intelligat credenda, adeoque etiam Symbolum Apostolorum; speranda, ac proinde petitiones Orationis Dominicæ, amanda, & consequenter quæ præcipit mandatum de dilectione Dei & proximi; & agenda, atque ita reliqua præcepta

quis

quibus obstringitur, & signanter Decalogi, & communia Ecclesiæ. Nec dubium quin instruendus etiam sit populus de Sacramentis, & debita susceptione saltem illorum Sacramentorum, quæ quemlibet respectivè concernunt. Non uno titulo ex his conficitur quod etiam adhibenda sit debita instructio, quâ populus discat qualiter audienda Missa, quomodo ab iis qui audiunt Missam offerendum ipsum Sacrificium cum Commemoratione Christi patientis.

Dubitari non potest quin populus etiam instruendus sit de præcipuis Evangelii principiis: ex. gr. quæ præcipiunt *querere primum Regnum Dei, & justitiam ejus. Diligere Deum ex toto corde, tota anima, tota mente, & totis viribus: & proximum sicut seipsum. Abnegare semetipsum, tollere Crucem suam quotidie, & sequi Christum. Semper orare & non deficere &c.* quandoquidem per ejusmodi principia exhibeatur nobis essentialis vitæ Christianæ regula.

Cum Fidelium salus non solum periclitetur ob ignorantiam, & neglectum eorum quæ concernunt generale officium hominis Christiani, qualia jam varia assignata sunt; sed etiam ob aliorum quæ speciale officium aut statum concernunt; ex. gr. Parentum, Filiorum, famulorum &c. etiam de his fideles sedulo sunt instruendi. Hinc Concilium Trid. sess. 5. præcipit generatim doceri quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandaque vitia quæ eos declinare, & virtutes quas sectari oportet, ut poenam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant.

CONCLUSIO TERTIA.

Populus non tantum instruendus de signis quibus Religionis nostræ mysteria exprimuntur sed etiam de ipsis rebus credendis, sperandis, amandis, agendis.

EX iis quæ binis anterioribus Conclusionibus dicta sunt, consecutarium est non sufficere quod populus circa credenda, speranda, amanda, & agenda doceatur ipsa verba sive signa, quibus illa omnia significantur; sed necessarium esse ut debite instruat de ipsis rebus: siquidem Spes, Charitas, & obligatio agendorum non sunt de signis, sed de rebus significatis. Hæc cum satis clara sint, non videntur egere ulteriori probatione. Crediderim tamen non inutile fore ut hæc occasione ostendatur nullatenus sufficere quod populus sit instructus de vocibus aut aliis signis, quibus pronuntiant, ex. gr. *Est unus Deus. Deus est trinus in Personis. Filius Dei factus est Homo ut nos redimeret à servitute diaboli. Nihil possumus sine divina gratia &c.* Fides enim æquè ac Spes est de rebus: nam *Fides est sperandarum substantia rerum.*

Quare quod primum attinet, necessum est populum circa istud ita instruere, ut noverit Deum non esse creaturam, sed creaturis omnibus incomparabiliter perfectiorem. Oportet ergo ut fideles per attributa negativa, removendo scilicet imperfectiones, Deum à creaturis distinguere norint. Præterea necessarium est ut sciant quod Deus per positiva attributa, id est, per perfectiones verè sibi competentes supra creaturas emineat.

Circa Trinitatem, etsi necessum non sit, imò nec possibile, mysterium illud comprehendere; novisse tamen oportet quid per voces quibus mysterium illud exprimitur, significetur: hæc enim valde diversa sunt, uti etiam valde diversa sunt novisse quid significetur per has voces: *Nascimur in peccato originali*, & comprehendere modum quo contrahitur peccatum originale. Oportune ergo docebitur populus quod tres Personæ Divinæ habeant unam eandemque Naturam ac Essentiam Divinam; ac proinde eundem Intellectum, unam eandemque Voluntatem, & Omnipotentiam eandem; ut quidquid intelligat, vult, creat Pater, unò eodemque Intellectu, Voluntate, ac Potentiâ intelligat, velit creet Filius, itea Spiritus Sanctus. Quod nihilominus Pater producat Filium, Pater & Filius

Filius Spiritum Sanctum, non è converso: Item quòd Filius assumerit naturam humanam, non etiam Pater, & Spiritus Sanctus; ac proinde oporteat ut Pater non sit Filius, aut Spiritus S. sive ut sit alia persona quàm sit Filius & Spiritus S.

Pro intellectu Incarnationis Verbi convenit docere quòd & omnes omninò homines fuerint mancipia diaboli ratione peccati illius mortalis, quòd vocatur originale; quòd in illo peccato manserint usque dum fuerunt baptisati; quòd per Baptismum ab illa servitute sint liberati; quòd servitus illa sine liberatore fuisset eos perductura primùm ad innumera cuiusvis generis peccata, ac demùm ad extremum sine fine supplicium; quòd illius peccati causa fuerit prævaricatio Adæ, quæ dum nimis leviter & sine intellectu exprimitur à respondentibus quòd *Adamus comederit de pomo vetito*, oportunum est ostendere quale ac quam enormè fuerit crimen Adami, dum instar Dei à nullo dependere appetebat, præsertim quoad scientiam boni & mali. Liberatoris necessitatem intelligent eò melius, quò magis fuerint edocti quòd sine illo nec ab originali, nec ab actualibus peccatis, & debito illis supplicio liberari quisquam potuisset: Liberationis verò mysterium ac modum discant, si doceantur quòd Filius ab æterno Deus, in tempore eà causâ sit factus homo, in unâ eademque Personâ continens Naturam Divinam & humanam; in Divinâ impassibilis, in humana tot tantaque passus, ut omnis gratia, omnis Sacramentorum efficacia, omnis peccatorum remissio, & quidquid nobis salutare, propter ipsius merita nobis donaretur.

Quæ ad Gratiæ Christi notitiam requiruntur, proculdubiò ignorantur ab iis, qui etsi nomine tenus fateantur necessitatem gratiæ, per gratiam non aliud intelligunt quàm conservationem, quâ Deus omnia conservat; vel intelligunt concursum generalem, aut quid simile: ita ut non aliter homines putent indigere gratiâ ad bene vivendum, quàm arbores ut crescant, bruta ut moveantur, aut homines ad exercendum actiones quascumque indifferentes; qualem proculdubiò gratiam etiam admiserunt, qui *ignorantes Dei justitiam & suam querentes statuere*, teste Apostolo, *Iustitia Dei non sunt subjecti*. Docendus proinde populus quòd gratia Christi sit auxilium supernaturale faciens nos cognoscere, velle & operari actiones salutares & Deo gratas. Porrò ejus natura convenienter explicatur per has sententias S. Augustini: *Scimus gratiam Dei nec parvulis, nec majoribus secundum merita nostra dari. Scimus majoribus ad singulos actus dari. Scimus non omnibus hominibus dari. Scimus eis quibus datur, misericordiâ Dei gratuita dari. Scimus eis quibus non datur justo Dei iudicio non dari.* August. Epist. 107. Efficacia gratiæ Christi rectè ostenditur dicendo quòd per illam Deus *opereitur velle & persicere pro bona sua voluntate*. ad Philippenfes 2. quòd per eandem rebelles nostras possit ad se compellere voluntates, ut patet ex Oratione Ecclesiæ Dominica quarta post Pentecosten: non quasi ullum resistentem invitumvè compellat; sed quia ex invito, teste S. Prospero contra Collatorem c. 6. *volentem facit*; quòd Deus ipse dicit Ezechiel. 36. *faciam ut in preceptis meis ambuletis, & iudicia mea observetis, & operemini*: nam gratia Christi ea est quâ fit non tantum ut habeat homo justitiam si velit, sed quâ, ut ait Aug. de Corrept. & grat. c. 11. etiam fit ut velit.

CONCLUSIO QUARTA.

Fides ad justificationem requisita debet esse assensus supernaturalis, firmus, ac certus, adeoque populus instruendus de notis credibilitatis, & de ipso fidei motivo.

Propositio 23. ita habet: *Fides latè dicta ex testimonio creaturarum similivè motivo, ad justificationem sufficit.* Ex hac propositione non obscure colligitur quòd laxitatum Patroni eò collimaverint, ut censerent ad salutem non esse creditu necessarium ullum objectum, naturalem hominis intelligentiam excedens, aut revelationem requirens; immò sentiunt

non

non esse necessarium ad salutem, ut etiam ipse actus quo creditur, vires naturæ excedat. Primum horum falsum esse patet ex iis quæ dicta sunt de necessitate credendi Mysterium Redemptionis per Jesum Christum, & de aliis creditu necessariis necessitate mediæ. Secundum etiam falsum est, nimirum quod fides ad salutem necessaria non debeat excedere naturales vires intellectûs; id est, quod non debet esse supernaturalis; quia ex locis Scripturæ Sacræ complurimis habetur, quod sicuti reliqui actus salutare, ita etiam fides à Deo donetur; & sicut reliqui habentur per gratiam Christi, ita etiam haberi fidem; utrumque, credere scilicet & bene operari, datum est per spiritum fidei & charitatis: "neque enim sola charitas, sed sicut scriptum est Ephes. 6. *Charitas cum fide à Deo Patre & Domino Iesu Christo.*" Aug. de Prædest. SS. c. 3. *Gratia salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Ephes. 2. *Vobis donatum est pro Christo non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* Philip. 1. Hæc loca Scripturæ Sacræ adeo manifestè ostendunt fidem esse donum Dei, & haberi per gratiam; ut Semipelagiani, etsi docuerint initium fidei esse ex nobis, non fuerunt tamen ausi dicere, obstantibus nimis multis, ac nimium manifestis Scripturæ sententiis, quod etiam fidei progressus sit ex nobis, sive quod ad justificationem sufficiat fides, quam possumus habere per naturæ vires. Imò ad ipsum initium fidei, ut ostendimus in Thesibus nostris de sententia Semipelagian. admiserunt necessariam esse gratiam, nempe similem ei, quæ requirebatur ad perseverantiam Angelorum, & hominis ante lapsum; adeoque in ipso fidei initio admiserunt supernaturalitatem rursus similem illi, quæ fuit in perseverantia bonorum Angelorum. Quidquid sit de sententia Semipelagianorum circa fidei initium, nemo dubitare potest quin agnoverint, quod saltem fidei progressus, deberet esse supernaturalis: minus dubitari potest, quin loca Scripturæ S. adversus Semipelagianos, potissimum in libro de Præd. SS. ab Augustino allegata, solidissimè probent quod fides sit Dei donum: quod proculdubio intelligendum est de fide ad justificationem ac salutem necessariâ. Ob illas ac similes Scripturæ Sacræ sententias Concilium Trid. sess. 6. de justific. can. 3. pronuntiat: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritu S. inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut penitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur: anathema sit.* Ex his omnibus manifestum est ad justificationem requiri fidem supernaturalem. Et hinc confectarium, tam ab instructore quam ab instructuendo fidem esse expectandam ab illo, à quo *omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit; scilicet à Deo Patre luminum*: sequitur præterea tum ab hoc tum ab illo humiliter orandum esse, ut Deus ostium fidei aperiat, sive ut, quemadmodum cor Lydiæ *aperuit intendere his quæ dicebantur à Paulo*, ita quoque hujus cor aperiat. Deinde cum fides sit sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium, id est, cum sit fundamentum in quo res sperandæ subsistunt, & convictio eorum quæ non videntur; necessum est ut fides sit assensus firmus. Porro si supernaturalis sit & firmus, debet esse certus, id est, præberi debet ab motivo infallibile, quod scitur esse infallibile: Etenim si assensus fidei esset infirmus & incertus, foret imprudens, quod cadere non potest in assensum supernaturalem, utpote à Deo datum.

Hinc conficitur quod populus instruendus sit non tantum de ipsis credendis, sed etiam de motivo fidei & notis credibilitatis, ac proinde docendus populus, quid nomine Ecclesiæ intelligatur: item quod illa communitas quæ Ecclesia vocatur, sit à Deo instituta: 3. quod sit infallibilis in illis quæ tanquam à Deo revelata proponit: Ex quibus riterius confectarium, populo proponendas esse notas Ecclesiæ, illas scilicet, è quibus sufficienter ipsi innotescunt hæc duo: 1. quidem, quæ sit Ecclesia à Deo instituta: & 2. quod illa in proponendis fidei Articulis sit infallibilis. Ad quæ præstanda præ aliis magis perceptibiles, ac magis utiles videntur hæc duæ notæ: quod sit Sancta, & quod sit Apostolica. Non est dubium quin sit admodum conveniens, ut etiam reliquæ Ecclesiæ notæ populo proponantur

mantur; quidam enim melius intelligunt notam unitatis sive consensûs populorum; & alii fortè percipiunt facilius notam Catholicismi sive universalitatis. Contingit præterea nonnunquam ut omnes notæ simul, quibusdam persuadeant quænam sit vera Ecclesia, ubi quædam seorsim non persuaderent, quia scilicet illas non satis percipiunt. Hæc de notis Ecclesiæ. Quoad instructionem de motivo fidei docendum est; motivum esse primam veritatem, id est, veracitatem ipsius Dei, quâ nulla major vel cogitari potest. Docendus ergo populus ex notis Ecclesiæ constare, quod nostra sit vera Christi Ecclesia, *Firmamentum & Columna Veritatis*, adversus quam portæ inferi non prævalebunt: hanc vero nostram Ecclesiam, hæc illave tradere ut per Apostolos accepta à Deo; qui cum scit omniscius, in iis quæ Ecclesiam docuit falli non potest; & cum sit summè bonus sive infinitè perfectus, in iis quæ Ecclesiam rursus docuit fallere sive decipere non potest; certam proinde esse, fidem nostram quæ pro motivo habeat autoritatem divinam, quatenus credenda revelavit Ecclesiæ.

CONCLUSIO QUINTA.

Propositiones negantes necessaria necessitate medii præter ea quæ viribus natura haberi possunt, mirè consentiant doctrinæ, quæ dicitur omnibus omnino dari gratiam sufficientem.

IN Thesibus defensis hoc anno 27. Januarii Conclusionem nonam ostendimus, propositiones minuentes, & potissimum negantes obligationem exercendi actus supernaturales Fidei, Spei, & Charitatis, mirè consentire doctrinæ Adversariorum, asserenti gratiam requiri ad libertatem; nunc ostendendum quod eorundem doctrinæ dicenti omnibus dari gratiam sufficientem, non minus consentiant propositiones negantes quidpiam esse creditu necessarium necessitate medii præter unum Deum, sive præter illa quæ ex testimonio creaturarum habentur. Clarum namque est, si creditu necessarium necessitate medii sit, ex. gr. Mysterium Incarnationis & SS. Trinitatis; illis quibus Mysteria illa non sunt revelata vel annuntiata, ut ex. gr. Americanis, per quindecim sæcula defuisse auxilium propriè loquendo sufficiens ad salutem. Hinc factum videtur, ut illi adversus quos agimus nihil dicerent creditu necessarium necessitate medii, nisi quod sine revelatione aut annuntiatione (prout distinguitur contrà testimonium quod habetur per cælum, terram, & similes creaturas) potest à quolibet adulto cognosci.

Sed quid de parvulis dicent, quibus ante adultam ætatem necessitate medii necessarium est Sacramentum Baptismi? Quomodo illi habent auxilium sufficiens ad salutem, si Baptismus ipsis vel administrari non possit, vel ut possit, non velint qui possunt? Respondetur, negare quidem non esse auctores necessitatem Baptismi; sed negant parvulos sine Baptismo decedentes pati ullum dolorem aut tristitiam: quin imò nonnulli istorum Theologorum in prædictos parvulos benevolentiores, ut putant, ita suam ad eos benevolentiam extendunt, ut asserere non dubitent, eos futuros post iudicium beatos naturæ beatitudine: atque ita in effectu, ut dicitur, negant parvulis illis ante Baptismum morientibus defuisse auxilium sufficiens ad evadendum pœnam infernalem, & similiter negant defuisse auxilium sufficiens pro adipiscenda beatitudine naturali. " Quod si ab illis, " Theologis (inquit Conrius de Statu Parvulorum) qui à parvulis remonent omnem pœnam, nam sensibilem, quærat, quomodo ausi sint Augustinum, cujus doctrina contrà " Pelagianos toties à Sede Apostolica probata fuit, prorsus in hac quæstione deserere, " ei quæ apertè contradicere; respondent intrepidè sententiam Augustini esse duram valdè " ac rigidam, ipsamque in unum extremum declinasse, fugiendo alterum Pelagianorum,

„ ut ab eis longissimè recederet. „ Ita Conrius de illis Theologis. Putant ergò Theologi isti se erga illos parvulos mitiores esse , quam sit Augustinus ; prout putant se mitiores esse erga adultos , dum negant eis quidpiam creditu necessarium ad salutem præter Deum unum ; eumque ex testimonio creaturarum cognoscibilem : verum sicuti per hanc suam sententiam de creditu necessariis necessitate mediis , multis proculdubio Pastoribus , aliisque instructoribus occasionem dederunt ut reliqua necessitate mediis creditu necessaria omninò negligenter , vel minùs sollicitè inculcarent ; ita censendum quod antedicta eorum sententia de parvulis sine baptismo morientibus verosimiliter multis dederit occasionem , ut ubi fama Matris , aut fortassè etiam Patris ratione fornicationis commissæ periclitabatur , abortum longè faciliùs procuraverint , aut pro baptismo foetus minùs fuerint solliciti , persuasi quod equidem foetus , non esset futurus in pænis inferni : vel , ut alii , futurus esset in beatitudine naturali. Et si multi occasione accepta ex hac Theologorum sententiâ , verosimiliter lapsi sint in mala prædicta , & insuper in quædam alia , ex. gr. concernentia actum conjugalem , ubi mulier existimatur passura abortum priusquam foetus possit baptizari ; nolim equidem sententiæ isti (quod ex Scriptura Sacra & Augustino facilè foret) refellendæ immorari. Non possum tamen omittere argumentum unicum ex ratione ductum adversùs illos , qui dictos parvulos nullo dolore aut tristitia affici dicunt : nam aliorum sententiam de beatitudine naturali istorum parvulorum , non magis quam campos Elifios Pœtarum refutare intendimus. Argumentum hoc est. Animarum post hanc vitam tanta erit vis voluntatis , quanta intellectûs : tanta verò erit intellectûs , ut percipient justitiam extremi iudicii , tam pro electis , quam contra reprobos. Cognoscent ergò merita electorum , & quod illis decerneretur in præmium : cognoscent simul etiam demerita reproborum & quod in illos statuatur supplicium. Ex quibus ulterius collige quam multa anima cognoscat post hanc vitam , potissimum circâ præmia & supplicia : quandoquidem omnes actus , & reliqua quæ electis per totam æternitatem obvenient , illis erunt in præmium : & similiter omnes actus & reliqua quæ reprobis per totam æternitatem accident , illis erunt in supplicium. Maxima proindè debet esse post hanc vitam vis animæ ad intelligendum , nec minor erit ad amandum ; maximâ proindè vi ac ardore animæ parvulorum prosequuntur objecta concupiscentiarum per totam æternitatem : aberit namque omnis charitas , sive casta Dei dilectio , sicut aberit omnis gratia Christi. Jam verò animæ , concupiscentiarum objecta quibus tanto ardore totâ æternitate inhiabunt , nunquam assequuntur ; tanto proindè dolore ac tristitiâ afficietur anima carens objectis concupitis , quanta est cupiditas ac ardor , quibus ea concupiscit. Concluditur ergò quod vel ex hoc solo fieri nequeat , quin animæ istorum parvulorum sint in doloribus ac tristitiis æternis gravissimis. De pœnâ damni & eâ quàm ordinariè vocant pœnam sensûs , pauca hæc ex Scriptura S. & Augustino : „ Venturus est Dominus , inquit hic , & iudicaturus de vivis & mortuis , sicut Evangelium loquitur , duas partes facturus est , dextram & sinistram. Sinistris diciturus : *ite in ignem æternum , qui paratus est diabolo & Angelis ejus.* Dextris diciturus : *venite benedicti Patris mei , percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi :* hanc regnum nominat ; illam cum diabolo damnationem. Nullus relictus est medius locus , ut ponere queas infantes. „ Aug. serm. 14. de verbis Apostoli c. 3.

CON-

CONCLUSIO SEXTA.

Ostenditur quanta sit enormitas perjurii, & eam nihilominus foveri per usum restrictionum mentalium, quarum pernicies hic describitur.

Naturali lumine notum est, quod pro majori dignitate personæ quæ colitur, debeat esse major reverentia in ipso cultu per quem colitur: hinc religio, quia per illam colitur Majestas Divina, quæ est infinita, reliquos omnes cultus in reverentia excedere debet. Placuit nihilominus Divinæ benignitati permittere ut Nomen suum in confirmationem assertionum de rebus humanis adhiberetur; quod nimirum fieret ut assertionibus nostris summa Fides conciliaretur, juxta illud Apostoli ad Hæbr. 6. *Homines per majorem sui jurant: & omnis controversia eorum finis, ad confirmationem est juramentum.* Ne tamen hæc Dei indulgentiâ in Divinæ Majestatis contemptum abuteremur, lege naturali primùm, deinde positivâ cuilibet mandavit Deus: *non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Jusit præterea per Prophetam suum: *Jurabis: vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in justitia.* Jer. 4. *In veritate*, id est, in iis quæ vera esse non dubitas: nam aliàs quodammodò assertitur quòd Deus vel non sciat quid testetur, vel paratus sit falsum testari: & hoc quidem dum jurans scit falsum esse quod jurat: si autem de veritate dubius, nihilominus velut absolutè verum juret; exponit se periculo blasphemum illud disjunctum Deo imputandi. *In judicio* juratur, dum adest necessitas jurandi sufficienter proportionata gravitati, quam continet Majestatis Divinæ in testem advocatio. *In justitia* denique juratur, dum assertio quam juramento confirmamus justa est ac Deo grata.

Cum ista doctrina à nemine negari possit, mirum est reperiri potuisse, qui hanc traderent: *Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem, prout habet Prop. 24. Item 25. Cum causalitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis. Item 26. Si quis vel solus vel coram aliis, sive interrogatus sive propria sponte, sive recreationis causâ, sive quocumque alio sine juret se non fecisse aliquid quod reverà fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam diem ab eâ in quâ fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverà non mentitur, nec est periurus. Item 27. Causa justa utendi his amphibologiis est quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa. Denique 28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum vel officium publicum promovus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.* Ex simili fonte quo prædictæ de juramento, etiam procedit Propositio 29. quæ ita habet: *Urgens metus gravis est causa iusta Sacramentorum administrationem simulandi.*

Quod primam jam relatarum propositionum attrinet, illa dicit quod peccatum mortale committat, qui in æquivalenti afferit, quòd Deus in rebus levibus vel nesciat an verum sit quod dicitur, vel paratus sit testari verum esse quod novit esse falsum. Secunda inter relatas dicit non esse peccatum, sive in rebus levibus, sive in gravibus cum causâ, ut ait, Deum fictè vocare in testem, & eatenus in vanum, quatenus frustra. Præterea hæc unicâ sententiâ sufficit ut omnia omninò juramenta, quacumque autoritate, sive laicâ sive Ecclesiasticâ, imò etiam divinitus præscripta, in rebus quantumvis magni momenti eludat, inania & ridicula prorsus reddat, ut proinde nil minùs verum erit, quàm quòd *omnis controversia hominum finis ad confirmationem sit juramentum.* Quæ tertio, quarto & quinto locò superius expressæ sunt, imò quælibet illarum similiter omnia juramenta irrita reddat & omninò enervat. Quælibet etiam illarum indulget ut sine peccato Deus assumatur in te-

Item falsi ; id est , ut sine peccato in æquivalenti rursus dicatur quod Deus vel ignoret verum-ne an falsum sit quod testatur , vel quod Deus sit paratus sciens testari falsum. Inter has propositiones præ cæteris absurditate eminent vigesima sexta , hæc scilicet : *Si quis vel solus , vel coram aliis , &c.* Est enim universalissima , complectens omnes omnino circumstantias quibus quocumque modo , quacumque ex causa , quocumque demum sine lubet pejerare : adeoque sive defit veritas , sive iudicium , sive iustitia , id est , etsi defint tres juramenti comites.

Evidenter hinc confectarium est quòd doctrina hujus propositionis cuilibet hominum , debeat esse summè execrabilis : etenim illà admisâ poterit scelestissimus quisque de quocumque crimine à se commissio jurare quod nunquam illud commiserit , intelligendo intrâ se aliud quod non fecit , vel aliam diem ab ea in qua fecit , vel quodvis aliud additum verum. Ex. gr. interrogatus an occiderit hominem quem reverà occidit , tutâ conscientia jurabit , *Non occidi* , intelligendo intrâ se , *aliquid aliud quod non fecit* , id est , se non occidisse Angelum : vel intelligendo *aliam diem* , puta , antequam natus esset : *vel quodvis aliud additum verum* , ut quòd non occiderit venenò , vel acu , quem occidit gladio ; vel quod non in Templo , &c. Sicut de hoc crimine , ita de quovis alio , ex. gr. adulterio , furto , falso testimonio , & sicut de criminibus , ita de quibuscumque aliis actionibus , quantumcumque intersit veritatem manifestari. Deindè quemadmodum pro se , ita in gratiam cujuslibet alterius ; maxime si sibi persuadeat quòd hoc sit conforme dilectioni consanguineorum , amicorum , gratitudini pro pecuniis ad tale testimonium dicendum acceptis , vel generatim dilectioni , proximi : nam ut habet Propositio sequens ex eodem Authore desumpta , *Causa justa utendi his amphibologiis est quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis , honorem , res familiares tuendas , vel ad quemlibet alium virtutis actum , ita ut veritatis occultatio censatur tunc expediens & studiosa.*

Etsi hætenùs tantum locuti simus de testimoniis negativis , paritas tamen rationis , quin & ipsa propositionum expressio prorsus exigit , ut dicta doctrina de restrictionibus mentalibus eòdem prorsus modo intelligatur de testimoniis affirmativis ; ut proindè secundum illam doctrinam , quicquid lubet , quantumvis falsissimum possis affirmare , & sine perjurio jurare , intelligendo intrâ te aliquid aliud. Ex. gr. interrogatus an solveris summam mille florenorum , respondebis : *solvi* , intelligendo quod solveris alicui pistori pro pane. &c. Denique per simoniam , per oppressiones , aut artes quascumque etiam pessimas promotus ad beneficia , dignitates , officia , & munia , etiam præcipua , sive in Ecclesia , sive in Repub. poteris negare quodlibet illorum iterum mediante juramento , intelligendo intrâ te &c. Ex quibus omnibus facillimum est videre in quantam animarum perniciem & scandalum à 70. & amplius annis grassata fuerit doctrina ista de restrictionibus mentalibus : quot item Tribunalia sive Ecclesiastica , sive Laica , doctrina ista turbaverit & perverterit. In quot quantaque Beneficia & Officia , dignitates , & munia summa , Ecclesiastica rursus & Laicalia , doctrina hæc intrusit Simoniacos , Oppressores , homines pessimis artibus deditos , in omni genere flagitiosos ac indignissimos ! Quot animæ suam æternam perniciem , quot miseri rerum suarum jacturam ei imputare possunt ! Idem per doctrinam istam de restrictionibus mentalibus provida legum de præstandis juramentis dispositio , per quam scelesti illi ab Ecclesiæ & Reipub. munis seclusi fuissent , irrita prorsus & inanis effecta est.

CONCLUSIO SEPTIMA.

Ex numero & qualitate Authorum qui pro 26. propositione allegantur, colligitur quod probabilitas, etiam illa, quam veram, germanam & practicam vocant, non possit statui pro Regula morum.

IN Specimine doctrinae Theologicae per Belgium manantis ex Academia Lovaniensi, quod exhibuerunt Adversarii, ut Propositiones 65. & complures alias à Lovaniensibus apud S. Sedem accusatas condemnationi subducerent, agnoscunt quòd propositio 26. quam praeteris execrabilem ostendimus, authorem habeat *Thomam Sanchez lib. 8. in Decal. cap. 6. num. 15.* Ad verbum ita habet Sanchez: "Tertia regula est, Possunt quoque absque mendacio ea verba usurpari, etiamsi ex sua significatione non sint ambigua, nec eum sensum verum admittant ex se, nec ex circumstantiis occurrentibus; sed tantum verum sensum reddant ex aliquo addito mente proferentis retento, quodcumque illud sit. Ut si quis vel solus vel coram aliis, sive interrogatus sive propria sponte, sive recreationis gratia sive quocumque alio fine juret se non fecisse aliquid quod reverà fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam diem ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverà non mentitur, nec est perjurus; sed tantum non dicere unam veritatem determinatam, quam audientes concipiunt, ac verba illa ex se significant, sed aliam veritatem disparatam. Haec regula non est adeò usque certa, ut duae priores: illam enim negant Doctores num. 12. relati. Sed eam amplectuntur Angelus, Sylvester, & multi alii, quos num. 38. 39. 40. & triplici sequenti referam; qui admittunt quaedam responsa eam ex se significationem non habentia, sed ex solo addito mente respondentis retento. Et in propriis terminis docent *Navar. cap. Humana aures.... Valentia.... Salon.... Toledo.... Philivarcus.... Suarez.... Leonardus....* Et dicit esse probabilem *Emmanuel Sa.,* Haec tamen Sanchez. Loca horum Authorum videre licet citata apud ipsum ad numerum decimum quintum. Videri possunt in eodem Sanchez Authores alii quos numeris supra indicatis assignat.

Porro notatu dignum quòd Thomas Sanchez obierit anno hujus saeculi decimo, quodque ab anno illo iis Authoribus quos ipse citatis locis recensuit, ingens proculdubio numerus accesserit. Nam recensiti à Sanchez penes subsequentes Casuistas valde magnam aestimationem obtinuerant; ita ut mirari non debeamus tantum illis suffragantium numerum accessisse, quin penè impossibile videatur secus contingere potuisse: siquidem Alexandro VII. teste, contigit interea summam istam luxuriantium ingeniorum licentiam indies magis ex crescere circa opiniones Christianae disciplinae relaxativas, & animarum perniciem inferentes, qualis vel maximè est illa de qua nobis hic sermo.

Advertat nunc harum Thesium Lector quousque ingenium humanum, etiam tot viro- rum Theologiam profitentium fuerit prolapsum. Agitur enim hic de errore non abstruso, imperceptibili, merè speculativo, vel in re exigua aut paucos concernente; sed de errore prorsus manifesto, omninò palpabili, summè practico, & in re maximi momenti, omnes hominum status, omniaque hominum officia, adeoque totum genus humanum concernente. Vel hinc colligitur quantò, qui Theologiam profitentur, suò aliorumque periculò negligant media sive ex parte intellectus, sive ex parte voluntatis, quibus notitia legis naturalis comparatur; quantò item periculò admittant impedimenta istius notitiae; de quibus mediis & impedimentis latius egimus in Thesibus *de peccatis ignorantiae, Concl. 12.*

In his speciali observatione dignum est quòd nulla omninò sit securitas in Adversariorum nostrorum saepius memorato ac saepius refutato principio de licito usu opinionum quas probabiles vocant. Nam ex his manifestum est quòd Propositio 26. habuerit pro se

in-

ingentem Authorum numerum. Superest ut ostendamus quanti illi fuerint. Quod me attinet, ego illorum auctoritatem non elevo; solummodò mihi propositum est ostendere quod Adversarii negare non possint, quin Authores supra memorati, si quidem vera sint quæ ipsi Scriptores Societatis de istis referunt, habuerint conditiones, quas ipsi Adversarii requirunt ad probabilitatem veram, germanam & practicam, ut vocare incipiunt. Ut verò à propositione cujus tractationem incepimus & ejus auctore non recedamus, legantur quæ Collegium Granatense Societatis Jesu de illo pronuntiat in ejus encomio, quod operi ejusdem in Decalogum præfigitur. Legantur etiam quæ Philippus Alegambe ex eadem Societate in *Bibliotheca Scriptorum* dictæ Societatis de eodem refert. Videbit in his quilibet proculdubiò Lector, quod si vel dimidium illorum quæ Scriptores isti de probitate & sapientia Thomæ Sanchez narrant, verum fuerit, conficiatur quòd ille à suis habitus fuerit, si alius quisquam, *Vir prudens & consideratus*: Quomodo ergo in Thesibus 12. Julii anno 1683. Lovanii defensis, Concl. 9. dicitur: "Certum tenes & incertum dimittis, ubi conscientiam tibi formas ex opinione certò & practicè probabili, quæ nititur motivo secundum se, quidem fallibili, sed gravi, ex quali vir prudens & consideratus in rebus magni momenti concludere solet.", An fortè certum tenere & incertum dimittere potuit Sanchez conscientiam sibi formando ex antedictâ suâ opinione adedò scandalosâ, & in praxi adedò perniciosâ? An certum tenere & incertum dimittere potuerunt tot alii viri qui ob auctoritatem ipsius Sanchez conscientiam sibi formarunt ex propositione illâ de licito usu quarumcumque restrictionum mentalium? Concludendum ergo, quòd sicut opinio Sanchez fuit scandalosa & in praxi perniciofa; ita adhuc hodie multæ opiniones possint esse scandalosæ & in praxi perniciosæ, etsi nitantur motivò secundum se quidem fallibili, sed gravi, ut volunt, ex quali vir, quem *prudentem & consideratum* vocant, in rebus magni momenti concludere solet. Quam ergo securitatem præstabit illa, quam ipsi vocant veram, germanamque ac practicam probabilitatem, quam inficiari non possunt competiisse dictæ opinioni Thomæ Sanchez. Si tamen testimonia quæ apud designatos Scriptores leguntur de probitate & sapientia Thomæ Sanchez judicio Adversariorum necdum sufficiant, ut ejus auctoritas opinioni isti tribuerit veram, germanamque ac practicam probabilitatem, legantur insuper quæ idem Alegambe in sua *Bibliotheca Scriptorum Societatis* refert de Gregorio à Valentia, Francisco Suarez, Leonardo Lessio, & Emanuele Sa; quæ item de illis omnibus enarrant *Imaginem primi sæculi*: expendantur denique ea quæ prædicat Escobar in *Theologia* suæ *Moralis* idæa, eleganti admodum, ut putat, allegoriâ, quâ Scriptores Primarios Societatis quatuor animalibus, ac viginti quatuor Senioribus Apocalypseos comparare non veretur. His consideratis judicet Lector an Adversarii admittere non debeant, quòd istorum auctoritas præsuppositâ veritate indicatorum testimoniorum, non fuerit plusquam sufficiens, ut illi sententiæ tribueret illam, quam ipsi æstimant esse veram, germanamque ac practicam probabilitatem: tanta siquidem sunt, quæ illic de Sanchez, Valentia, Suarez, Lessio & Sa referuntur, ut Adversarii negare non possint, quin dictæ sententiæ de restrictionibus mentalibus, in cujus patrocinium allegantur, competierit ratione auctoritatis illorum probabilitas, quam ipsi, si ullam aliam, vocare debuerunt veram, germanam, ac practicam. Quo admissio evidenter consequitur, quod etiam talis probabilitas nec antè-hac fuerit, nec imposterum statui possit secuta morum regula.

CONCLUSIO OCTAVA.

Vt dignoscatur quando mendacium vel perjurium, dum homo homini loquitur, committatur, considerandum quid locutio externa cum externis circumstantiis consignantibus independenter ab omni restrictione aut extensione mente factis, significet.

ADversus Propositionem 26. & alias affines quibus restrictionum mentalium usus veluti licitus stabilitur, dicimus mendacium committi, & si juramento confirmetur, perjurium, quoties externa locutio, sumpta nimirum cum externis circumstantiis consignantibus, difformis est à iudicio vel affectu loquentis. Difformis est à iudicio loquentis, dum locutio mendax est enuntiativa, id est, dum aliquid affirmat vel negat, ut est hæc: *nihil dedi pro hoc illove munere aut officio mihi comparando*, asserta vel jurata ab eo qui pro illo aliquid à se datum esse novit. Locutio mendax difformis est ab affectu loquentis quando est oratio non enuntiativa, ut hæc: *utinam te ad officium istud promovere possim*, prolata ab illo qui nil tale in gratiam alterius posse aut præstare desiderat. In his non solum considerandum quid ipsa locutio, præcisa nimirum à circumstantiis, se sola significet; sed quid cum circumstantiis consignantibus: ex. gr. vir aliquis Catholicus petit à Confessario an audiverit quod Petrus commiserit homicidium, nullâ factâ mentione Confessionis Sacramentalis; petens istud, cum sit Catholicus, supponitur, ut fieri solet, nolle quidpiam interrogare ex confessione: quare si Confessarius absolute dicat se non audivisse quod Petrus commiserit homicidium, non censetur idecirco mentiri, etsi recordetur Petrum sibi homicidium esse confessum: ratio est, quod locutio Confessarii in istis circumstantiis consignantibus, non extendatur ad casum Confessionis Sacramentalis; cum ex circumstantiis talis petentis Catholici notum sit, quod hic non velit interrogare de auditis in Confessione; atque ita responsum Confessarii ob istam circumstantiam consignantem non extenditur ad casum Confessionis. Secus foret si hæreticus aliquis aut scelestus Catholicus petitionem ita exprimeret, ut ipsa expressio sese extenderet etiam ad casum Confessionis; ex. gr. si peteret an Confessarius ex Confessione non intellexerit quod Petrus commiserit homicidium: tunc enim nullatenus dici posset quod circumstantiæ consignantibus, casum Confessionis Sacramentalis excluderent; quandoquidem ipsa interrogatio manifestè eum includat. Hinc Confessarius tunc obligatur, si ve Petrus homicidium reverà fuerit confessus, si ve non, aperte dicere, impium esse talia à se petere, & se ad ejusmodi interrogatum respondere non posse: & reverà non potest, ne quidem tum, quando Petrus homicidium non esset confessus: nam tunc respondendo, aliquousque foveret impietatem istiusmodi petitionum. Accedit quod si responderet quando non esset confessus, & non responderet dum esset Confessus, isto agendi modo Confessionis sigillum violaretur. Diximus pro dignoscendo mendacio aut perjurio, cum externâ locutione simul considerandas esse externas circumstantias consignantibus, quia agimus de locutione quâ homo hominibus loquitur: qualis locutio habet suam significationem ac sensum ab iis quæ alii homines à loquente distincti percipiunt, id est, ab externis: nam interna ipsius loquentis, si per externa non manifestentur, percipere non possunt. Cum Deo tantum dicitur, inquit Aug., de menda. c. 17. tunc tantum in corde veritas amplectenda est. Cum autem homini dicitur, etiam ore corporis verum proferendum est, quia homo non est cordis inspector. Hinc evidens est quod restrictio quæ fit solâ mente, reverà non restringat, extendat aut mutet significationem locutionis quâ homo homini loquitur. Ita ut externa locutio ad alium hominem, prorsus eandem significationem & sensum retineat, si ve adsit si ve absit mentis restrictio. Quæ hæc Conclusione diximus communia sunt nudæ assertioni, & assertioni juratæ. Nunc observandum quod non unô titulo illicitum sit quædam confir-

mare

mare juramento, quæ tamen licet simpliciter asserere: nam in juramento requiritur major certitudo de re assera, quàm in simplici assertione: præterea requiritur longè major cautio ne proximus assertionem juratam aliter quàm nos intelligat; idque tum ob reverentiam divini Nominis, tum etiam quia ipsa circumstantia juramenti accedens assertioni nostræ, conſignificat quòd ejusmodi cautionem adhibeamus; neque tamen, ut ante dictum, homo homini licitè, etiam sine juramento, loquitur, nisi locutio externa cum externis circumstantiis sit conformis iudicio vel affectui loquentis. Multiplici ergò ratione evidenter concluditur quod ea quæ Propositionibus 26. 27. & 28. velut licita traduntur, sint mera mendacia & perjuria. Rectissimè ergòde earum Authoribus dicitur illud Augustini, contra Mendac. c. 18. "Sunt in eis docti, qui etiam regulas figant, finesque constituent quando debeat, quando non debeat pejerari. O ubi estis fontes lachrymarum! & quid faciemus, quòd ibimus? ubi nos occultabimus ab ira veritatis, si non solum negligimus cavere mendacia, sed audemus insuper docere perjuria?"

· I M P E R T I N E N S ·


Qua in anterioribus Thesisibus 27. Ian. defensis, Concl. 5. ex Aug. diximus, Si propterea evangelizamus ut manducemus, vilius nobis esse Evangelium quam cibum, adeoque zum peccari, & gravius dum quispiam Ecclesiastica illa munia opificii instar ut indè vivat primitiùs assumit; intelligenda sunt etiam tunc, quando quis vitam suam intendit ulterius ordinare in Deum: illicitum proindè etiam est curam animarum assumere, eò sine ut parentes ex ejus proventibus alantur. Ergò qui spiritualia refert ad temporalia, non semper excusare se potest per hoc quòd temporalia ulterius referat ad spiritualia.


A L I U D.

Anno 1674. Romæ in Collegio Romano Societatis Jesu ab Agapito Falgario publicè propugnata sunt tales de Prædestinatione gratuitâ, & Gratiâ per se efficaci Conclusiones Theologica, ut impossibile sit quidquam allegari contra Doctrinam Lovaniensium de eadem materiâ, quin idem pari ratione allegetur contra istas conclusiones: Quidquid proindè PP. Societatis allegaverint contra dictam Lovaniensium, noverint etiam allegari contra suorum doctrinam.

F I N I S.

8228





Theles
Doctorū
Academia
Lovan.

Th

2170